1672.

207.

Viri Doctissime, Amice honorande.

Talem enim Te compello merito, postquam amicitiae Tuae fores patere mihi adeo amice voluisti, et literis humanissime scriptis, et munere literario, posthumo Celeberrimi Parentis Tui cum [illegible] scripto, benevole mactatum misso. Alienus sim ab omni aequitate, et meis ipsius moribus violenter adversus, nisi votis Tuis respondeam pro pensa liberalitate affectu, et tanti Viri Filio, quo a me cum professione potui, officia, studia, obsequia consentiam. Id, si alia non suaderent, imperaret pietas in meritissimum Parentem, Theologum sanctissimum, ἀναλύσαντα σὺν Χριστῷ, qui me nihil meritum sua quondam amicitia dignari indulsit. Eius decessus non tibi tantum luctuosus, sed omnibus verbum Dei audientibus acerbissimus, postea locum accidit. Sed impleverit dies suos fidus Christi servus, et talento praeclare collocato, cursuque consummato, in gaudium Domini sui ingressus est. Tu ipse magnum ex bonis levamen luctus, surculus de tam bona arbore. Tibi lampada tradidit Pater, ita enim censeo, ut in labores eius ingressus incipias ubi cessavit ipse, et lucubrationibus eius mss. feliciter usus, omnem cum ingenii tui expositioni τοῦ λόγου Θεοῦ conteras. Cum in re nemo bonus est, qui de generoso tuo conatu dubitet, nemo, qui non successum felicissimum exoptet. Alterum est luctus levamen, quod Cocceius ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται, in ingenii et pietatis sui monumentis, aere perennioribus, quorum plenum adornari syntagma, in Systema unum digestum, et quamplurimis scriptis hactenus ἀνεκδότοις locupletandum, solide gaudemus. Deus benedicat uberrime heroico conatui, studiisque Tuis perpetuo faveat. Vale. Dabam Basileae a. d. 9. Nov. 1671.

Clarissimo Tuo Nomini
addictissimus

Lucas Gernlerus.

A Monsieur

Monsieur Henry
Coccejus

A Leiden.

1672.

A Monsieur

Monsieur Henry
Coccejus
A Leiden.

Clariſsimo Doctiſsimoque Viro,
D. Joh. Henrico Coccejo, Theo-
logi celeberrimi Viri praeclaro
Filio, S. Theol. Candidato.

Lugduni Ba-
tavorum.